

ANTONII CAESARIS
MALRICAL THERESIAL
L I B E R T E R T I U S.



Uidquid Apraxinus, dum copia multa subesset,
 Abstinuit; postquam fudit, disjicit & hostes,
 Majori exhibuit Fermerus foenore: quippe (1)
 Quantumvis saeviret hiems, totisque capillis
 Excuteret, campos nivibus vestiret ut omnes;
 Cogeret & pigros in crustas marmoris amnes:
 Tum Borussiacas, esset quasi ferreus ipse,
 Ferreus & miles pariter, contendit in oras.
 Quo simul ac ventum, rapidi torrentis ad instar
 A pluviis aucti, lapsique a vertice rupis,
 Strenuus invexit sese, regnoque potitus.
 Ante Kinisbergam petiit, soloque subegit
 Belligeri aspectu. Miles qui praeses ibidem,
 Territus erupit, semetque recepit in Urbem,
 Nomine Pilaum, quae cincta ut moenibus esset,
 Et latere a terno pelagi circumdata fluctu,
 Praefidibus tamen illa suis non visa futura
 Praefidio: excedunt: celeri pars sedula cursu
 Insilit in cymbas, pars vero segnior haesit:
 Atque ibi Russorum manicas captiva moratur.
 Id fuit in causa, ut tenui Borussus ovaret
 Laetitiae sensu partim laetusque dolensque:
 Quod, regno amissso, fuerat Svaidnitza redempta;

Ap-

Appendix nec parva fuit, quod sanguine multo:
 Dum nulla integrum regnum jactura subegit.
 Ut vero Svaidnitz foret devicta, quot ille
 Contulit expensas, exantlavitque labores?
 Quot juvenum vidit flores occumbere morti?
 Sub Jove qui gelido, mediae sub tempore brumae,
 Dum super attritas fessi sternuntur aristas,
 Diriguere; jacet sanguis concretus, & ire
 Desinit in venas, frigetque coagula passus.
 Dumque alii curant sclopis emittere glandes,
 Aut strictis cupiunt gladiis infligere vulnus;
 Arma cadunt, resoluta manus torpetque, rigetque;
 Redditaque enervis se se miratur inermem.
 Ast alios longe plures petulantia morbi
 Hospitis in castris adigit concedere vita.
 Ac nisi grassantes pariter Tiraimus in urbe (2)
 Congeneres pestes tristis sensisset, eandem
 Dediderit nunquam, casuque immortuus esset.
 Militis ad viatum fruges, sibi miles ad usum
 Deficit, & viduae turres spectantur ubique.
 Reliquias certo paucas subducat ut ergo
 Exitio, semet, sociosque, & tradidit Urbem:
 Vincere se cupiens recti fixique tenacem
 Propositi, infensum quando non vicerit hostem,
 Firmus ab obsidio qui nunquam excesserit arcis.
 Jamque remittebat tempestas horrida brumae,
 Et ver innectens aurati cornua tauri
 Graminibus teneris, aut pubescentibus herbis,
 Sederat in tergo, terras & adire parabat;
 Praegressusque viam Zephyrus praenuntius ibat;
 Ut procul e Coeli Borean regione fugaret;
 Et nivis argento fuso, byssoque soluto

In latices vegetis depingeret arva sfnaragdis .
 Idque morabatur cupidus Fridericus honoris ,
 Atque inhians palmis aliis onerare capillos .
 Ergo iter indicit turmis , saguloque virenti
 Vestit humum , virides cui dudum attriverat herbas
 Miles , & inflatis animis prope devorat omnem ,
 Qua patet , Europam , post Austria regna subacta .
 His aetus studiis pergit maturius ire :
 Transfilit & montes , valles transmittit , ut essent
 Rupibus extantes , nivis utque uligine tectae .
 Nec temere incedunt acies : nam provida cura
 Regis id intendit primum , potiatur ut urbe ,
 Quam Lathmancellam vulgato nomine dicunt :
 Horrea multiplici qua turgida fruge scaterent .
 Hic tamen haud stertit vigilis prudentia Dauni ; (3)
 Consilii at talis jampridem praescius idem ,
 Evellit sua signa , movetque , infedit & urbem
 Praefidio , adjectis & turmas explicat arvis ,
 Accinctas conferre manus , ubi venerit hostis .
 Spe Rex frustratus , fuerat qua saepe potitus ,
 Eset ut infensus , Daunum laude extulit aequa :
 Inde abit , Ulmitiam sua dicit & agmina contra .
 Hic porro exsommnis nituit solertia Dauni ;
 Hic sua dexteritas se tota intendit : eadem
 Stat firmus statione : sinit , sit copia plena ,
 Ut Borussiacus miles contendat , & urbem
 Obsideat : renuit se credere Martis arenae :
 Qua grave discrimen , quaque alea plena pericli ;
 Sanguine qua multo vinci , vel vincere posset :
 Vincere dum sperat , palmamque referre sedendo ,
 Et propriis parcens Borussi evertere vires :
 Dum procul a terris patriis sese alligat ille ,

Obsi-

Obsidio, qua nulla quies noctuque diuque,
 Qua labor enormis, qua plurimus ingruat ignis,
 Ignibus & gravior perimat penuria rerum.
 Id tamen ut praefestet, quamvis cessare videtur,
 Multa agit, assiduo dispungit & otia lucro:
 Pro lucro soleat dum pugna obtrudere damna,
 Quaeque resarciri nequeat ja&tura per annos;
 Et magis, indicit cum multa audacia pugnam.
 Ergo quid hic Daunus, Fabius vel maximus iste (4)
 Exhibuit? Studiis geminis hisce excubat omnis;
 Ne Borussiades adjecta excurrat in arva,
 Colligat & fruges, habilemque ad bella juventam:
 Et vetet, integraque opera prohibere laboret,
 Haec Silesiacis ne submittantur ab agris:
 Quod partim potuit, ni prorsum evincere totum.
 Pro Dauni imperio vadunt tot fulmina belli, (5)
 Quot jussi properare duces: Laudonus & acer,
 Impiger & Lanius, Kalnochus, & Agnius, atque
 Complures alii, quorum prout nomina posse
 Carmine complecti, sic inclyta facta negarim.
 Dum siquidem Ulmitiam studuit Borussus obire
 Aggeribus, fossis, flammaeque involvere nimbo;
 Turba Croatorum, Varasdinique procaces,
 Hussaridesque leves, importunique Licani,
 Quo se cunque movet pubes Borussa petitum
 Pabula, praecipitant illuc sese alite cursu;
 Et prius invadunt spissis bolidum imbribus hostes,
 Mox gladio, in summis sclopis & acinace vinc&to:
 Et praedam extorquent, praedatorumque cruore
 Indigenum damnoque litant, lacrimysque parentant:
 Exempla & statuunt non esse licentius olim,
 Et proprii arbitrii miseros populare colonos;

Quin

Quin solvant etiam multo cum sanguine poenas,
 Omnibus in campis ferro flammisque petiti.
 Sic leporem, solito prodit dum cespite pastum
 Gramina, sublimis si forte ex aere vidit
 Alitum regina, cadit lapsa agmine recto,
 Invadit, rostroque ferit, discerpit & ungue.
 Ac licet acciderit, fuerint ut saepe repulsae
 Illyricae gentes, & multa clade piarint
 Assiduos ausus; nunquam generosa remittit
 Vis animo ingenita, & se se magis obstinat usque:
 Nec comitum hos terrent mortes, mutilataque membra
 Non hostis numerus, stragesque minantia certas
 Contiguam in frontem passim tormenta locata.
 Acrius incurunt, & saepius inde laceſſunt:
 A morte illeſtos jures, ductosque periclis.
 Sic fortem alipēdem diri insectantur asili,
 Invaduntque avidi, ſtimulosque infigere curant:
 Et quamvis ſonipes iectus ſe corpore toto
 Excutiatque, agitetque pedes, caudaeque repellat
 Verbere, non ideo pestis faeva illa recedit;
 Sed redit: in terram quin ſaepe afflcta licebit,
 Se magis exacuit, graviorque laceſſere gestit.
 Dixeris ulcisci cupidam, quod abacta faceſſit.
 Id demum evicit turba illa volatica gentis
 Illyricae, ut passim clausos gravis ureret hostes
 Saevitia annonae. Certa ratione mederi
 Rex damno intendit; fieretque ut laxior illa,
 E Sileſiacis mandat procedere terris
 Innumeros currus, qui millia quattuor eſſent;
 Nec modo vim Cereris magnam, foenique, ſed aequę
 Pulveris adveherent pyrii, numerumque pilarum
 Omnipigenum, quarum fuerat jaculatus in urbem

Diluviem ingentem: se ferme & copia talis
 Destituit tandem. Quo porro ea tutior iret,
 Additus est custos, ultra ter quina virorum
 Millia, qui jussi cuncta explorare locorum
 Ingenia, instantes & devitare Croatas.

Haec Rex: & Daunus contra dum castra tuetur,
 Otia non dicit; colles, angusta viarum,
 Et valles, index quas exploraverat ante,
 Annuit, ut miles defendat, & arceat hostem.

Nec porro latuit, quoniam comitatus adesset
 Plurimus in promptu segetes latus, & arma,
 Ut Borussiadum turmis succurrat egenis.

Hunc jubet Illyricos majori invadere nisu.

Egregii hinc quidquid jam patravere Croati
 Hoc toto in bello, Daunus patrasse putandus.

Ille duces legit, turmas adscripsit & ille
 Congeneres ducibus: tales insidere montes
 Imperat, & tacitos tali se condere valle,
 Abdere vel saltu tectos, hostemque manere.

Imperium Dauni fortis Laudonus ad unguem

(7)

Exequitur; princeps omnes invadere colles
 Festinat, quos debuerat Borussus adire.

Tendere sed quamvis studuit maturius idem;
 Sollicitum frustrata tamen spes credula: quippe
 Occupat in montes miles Borussicus ire,
 Et prius ingressus valles intrare petitas.

Qui simul Austriacos vidi contendere contra,
 A numero major quinum est diductus in agmen
 Ante mori certus, quam captos dedere currus:
 Idque magis, locus ille sibi quoniam aptior esset
 Ad pugnam. Haud animos ideo despondet, at inde
 Acrior erigitur, siquidem Laudonus iniret

Ardua,

Ardua, sed proprio discrimina pectore digna.
 In Borussiadum cuneos sese invehit ergo,
 Et pugnat, sociosque suos vel voce, vel actis
 Ad pugnam exacuit: tum plurimus ignis utrinque
 Exoritur, tenuitque diu: minimeque diremptum
 Certamen fuerit, dubiis nisi noctis ab umbris
 Indictum, caecis ut cessaretur ab ausis.
 Ergo suos revocat socios Laudonus; id autem
 Hac etiam ratione: sibi non nuntius unus
 Attulerat, multas hostis contendere turmas
 Suppetias latum; pariter quas ipse maneret;
 Et Siskovitzus non paucas tempore duxit. (8)
 Hic simul ac illuc venit, post terga coortas
 Intulit instructas equitum, peditumque catervas,
 Quae patrium ob morem tollunt super aethera voces
 Horrificas: sequitur grando repetita pilarum,
 Edit & ingentem stragem. Laudonus adesse (9)
 Auxilium ut sensit, laeto sic ore profatus.
 O socii, gaudete; venit novus hostis in hostem,
 Et terga aggreditur: frontem, mora nulla, petamus.
 Dixit; & in dicto lacerat calcaribus armos
 Alipedi, gladium profert, & tollit in altum,
 Et ruit: insequitur gens peronata, ducemque
 Aequat, & adversas postquam mugitibus auras
 Impulit, has etiam bolidum spissō expulit imbre.
 Principio obnixa est satius Borussica pubes,
 Et tempestates est ejaculata pilarum.
 At simul ac proprius nudum res venit ad ensim,
 Inde laborare, & circumspetare saluti
 Effugium: crevit sensus formidinis iste,
 Vifus ubi est Borussus eques concedere retro,
 Et soli pedites peditumque equitumque procellae

Austriacae objecti; non ergo vincere sperant:
 Tam cito sed vinci puduit: coguntur in unam
 Tunc aciem, & quando credunt non vincere posse,
 Posse tamen cupiunt saltem pugnasse videri.
 Contra ea Laudonus non ardet vincere tantum,
 Vincere sed citius, pudeat quod vincere sero.
 Haec Siskovitzo pariter sententia sedit. (io)
 Acrius incubuere, ruunt, nudoque trucidant
 Ferro obductantes, nec captos sumere curant;
 Tempore ne longo victoria tardior esset.
 At profligatos penitus dum credidit hostes
 Austria gens, alio feso discrimine vidit
 Implicitam. Borussus eques, qui pulsus abivit,
 Cum procul excessit, stipatur, & ordine recto
 Digeritur, volvitque orbem, seque invehit ulro.
 Vedit, & exarsit saevas Laudonus in iras;
 Et quoniam a peditum pugna decidere nullus
 Tum poterat, geminas equitum jubet ire cohortes:
 Una Zuepricco dicta est a Principe: claro (ii)
 Principe, non tantum claro quod sanguine natus;
 Ast etiam quoniam bellandi clarior arte:
 Quippe manum conferre potens, aut ducere turmas.
 Altera Nadastis sublimi a nomine dicta:
 Qui licet abfuerit tunc temporis, inclyta virtus
 Illius transfusa suo cum milite constat.
 Hae geminae inventae sunt magno ardore cohortes
 In Borussiadis, quamquam & sit copia major.
 Incubuere tamen tanto rapti impete contra,
 Primus ut assultus cito rem decreverit: hostes
 Inclinant, ineuntque fugam: respectus & inde
 Effugio est nullus: properant, qua cuique facultas,
 Et via luminibus quaecunque est obvia, carpunt.

Cum

Cum porro disiectus eques Borussicus, arma
Austrius in peditem vertit; victoria signa (12)
Quem contra intulerat vivax Laudonus, & acer
Siskovitiades: tum pugna haud amplius illa
Pugna fuit, verum numeris victoria plenis.
Qui reliqui, in summos montes perrepere, perque
Invia Borussi, denso seque abdere saltu.
Quae prius incaluit, currus modo nulla tueri
Cura subit; tantum propriae vult quisque saluti
Consultum: fruges pereant, rapiantur opesque:
Omnibus in voto est jugulum subducere ferro
Objeto, strictoque neci. Duo millia terram
Corporibus stravere suis; plus mille redacti
In manicas, currus pariter plus mille recepti;
Quadrupedum vis magna simul, tormentaque multa.
Consilio Dauni postquam comitatus abactus (13)
Hic fuit, intendit curas Leopoldus, ut hostes
Fallat ab integro, velut ante sefellerat idem.
Nam Borussiadas quando videt esse ligatos
Ulmitiae obsidio, nec honore excedere posse
Armorum incolumi, proprius se se admovet ille
Plus semel, atque intendit iter noctuque diuque;
Et tacitis signis triginta ad millia passuum
Praeterit occultus: quo vero accedat ad urbem,
Imponatque hosti, jussit, Balous ut alas (14)
Complures equitum ducat, pugnamque ciere
Mentitus, singat se velle laceſſere bello,
Et late longeque equitet. Commenta valere
Haec simul ac sensit Daunus, non pontibus unis
Et Moravam jungit, non intellectus ab hoste
Ulmitiam & juxta metatur castra, sedetque,
Qua foret in promptu fruges submittere, turmas

Addes.

Addere, praefidii mutilas praestare frequentes,
Impetere aut hostes, ubi summus id exigat usus.
Cum fuit hic opera Dauni comitatus ademptus,
Tunc ori Cererem, tunc dextrae extorsit & arma:
At vero proprius quando se applicat urbem,
Et potis ad libitum quidquid submittere Daunus,
Dixeris haud falsus tunc succidisse lacertos
Borussos, reliquosque pedes liquisse, quibusque
Usus is exornatque fugam, tacitusque recedit.
Haec fuga sed Regis cunctis aequanda triumphis.
Tota dies illum flamas, atque horrida vidiit
Fulmina mittentem, & lacerantem tecta domosque:
Inde intempestae discessit noctis in umbra.
Expugnare urbes multis est prona facultas;
Dum tormentorum sibi copia suppetat aequa.
Ire per infestas terras, per tela, per hostes
Omnibus objectos campis, juga cuncta tenentes,
Et vigilem & cautum potuisse evadere Daunum;
Hoc opus egregii tantum ductoris honorque.
Id Borussiacus magna Rex praestitit arte.
Gens sua conspiciens Regem, cui Martius ardor
Multus in ore micat, comis cui gratia vultus,
Flagrantesque oculi, scintillantesque decore
Caeruleo; quod saepe pedes praecederet agmen
Intrepidis animis, indefessusque labore;
Geftit inire viam, fessos compellit & artus
Praecipitare moras, maturosque addere gressus.
Obvia fit vallis; quisquis se projicit intro:
Occurrant terga alta jugi; perrepere contra
Est studium: Austriaci summis e rupibus instent,
Projiciantque pilas, adversoque ense minentur;
Impetus est visis caput objectare periclis;

A capite ut cari possint avertere Regis.
 Hi sensus alacris vicerunt denique gentis,
 Post varias rixas, & mista haud praelia pauca:
 Sospes ut a multo damno Boica arva teneret.
 Daunus ubi vero Regem intellexit abisse (15)
 Luce nova, late Borusso a milite castra
 Et vidua, & cunctos festino evadere passu;
 Ulmitiam, Ulmitiae & princeps succedere templum
 Hoc illi studium, subiitque potissima cura:
 Atque ibi dum voces resonant, citharaeque, tubaeque,
 Tympanaque, lituique, boantque tonitrua Martis:
 Collegit sese ille, suamque a corpore mentem
 Avocat, & Coeli vadit peregrinus in aulam:
 Demissosque sovens grato sub pectore sensus,
 Et se confessus non dignum egisse, quod egit,
 Omniaque auspiciis, & dono Numinis acta;
 Aeternae Triadi, potuit quot solvere, grates
 Solvit: ab integro repetit, rursusque revolvit.
 Mox quoque Reginae Superum, quae ducere nomen
 Gaudet ab auxilio, laudum praeconia plena,
 Milleniasque iterat grates: qua vindice factum,
 Ut Borussiacus gratis, seque alliget ultiro
 Ulmitiae obsidio: magnum fuit unde subortum
 Exitium, quod parca sibi reparare facultas.
 Auspice qua pariter factum est, sapientia menti
 Ut recta inciderit dubiae, quae scilicet usus
 Praestitit; ut propriae vix paucō sanguine gentis
 Ulmitia & sospes possit persolvere grates:
 Theresia & juxta, nec tantum illius in aede, (16)
 Omnibus at templis, adiit quae semper, aditque;
 Et secum Augustus Conjur, numerosaque proles,
 Quae specie, similique refert pietate Parentes.

Hoc

Hoc ubi defunctus divino est munere Daunus; (17)
 Et postquam egressus templo, Marscallus & una,
 Hunc adit, exceptusque epulo est: hic inter edendum
 Alter in alterius grates effunditur; alter
 In laudem alterius sese cumulatius effert:
 Marscallusque prior, quotquot praeconia lingua
 Est potis, ingessit, visusque est Attica mella
 Edere, dum compto voces evolvit ab ore:
 Quod vel cunctando, vel agendo ejecerit hostem:
 Quod gravidos currus postquam intercepit, inermem
 Reddiderit: proprius quod postquam accessit ad urbem,
 Tunc obsessores illic obsederit ipsos;
 Seque ita centenae quod ab igne exemerit Aethnae.
 Daunus ad haec. Regerenda tibi praeconia, dicta (18)
 Quae mihi: tu potior causa es, tu scilicet auctor,
 Quod modo praefliterim, quidquid praestare verebar.
 Diluviem flamarum inter formidine nulla
 Victus ut exurris, sic morti occurris & ipsi;
 Et stragem ut repares, muros percurris: ab urbe
 Tu saepe erumpis: parva tu destruis hora,
 Quae jam longa dies struxit munimina late:
 Reddis & exernes hostes, cum dirigis ignem,
 Pulveris inferni congesta ubi copia multa.
 Munus opusque tuum est, quod & actum, & quidquid agetur;
 Acceptumque tibi semper referatur, oportet.
 Expletis, tenuere brevi quae tempore, mensis, (19)
 Diversi evasere duces. Marscallus in urbe,
 Consultum populis, reparatum & damna, moratus.
 Dauniades turmas adiit, quibus urgeat hostem.
 Propterea Illyricas furias admisit, ut omnes
 Obsideant armis valles, montesque coronent,
 Borussis iter unde foret. Mandata faceſſunt

Ducto-

Ductores, missaeque manus; hostemque sequuntur.
 Daunus & interea, totusque exercitus una
 Insequitur, semperque terit vestigia pone;
 At nusquam assequitur: binis praecesserat hostis
 Sollicitus castris, raptimque evaserat ante
 Sub noctis tenebras, Daunus quam terga sequatur:
 Ac tandem Boicae fines telluris adeptus,
 In Kinisgratzi recta fese intulit urbem.
 Hic Bacous erat, qui justo milite quamvis,
 Ingenioque loci tutus, discedere duxit
 Tutius, inferior quoniam sibi copia gentis,
 Viribus aspiciens Borussum incumbere totis.
 Advolat huc Daunus, lateque amplectitur hostem (20)
 Velitibus variis; nonnulla ut copia fiat
 Palantes pecudes, messasque avertere fruges.
 Hic Borussiacus studuit Rex fallere rursus.
 Imperat adjectis ingentia tigna colonis
 Advehere, & lateres, & quidquid duxit ab usu,
 Ederet ut muros, & muris cingeret urbem.
 Dum pavidi accurrit jussis servire coloni,
 Tum quos appositos vedit Borussus ad arma,
 Sive velint, nolintque, suas deponere vestes,
 Induere & sagulum mandat, multusque minatur,
 Si renuant; potiusque suas sarcire cohortes
 Sedulus incumbit per raptam a vomere gentem,
 Condere quam muros. Huic damno occurrere Daunus
 Excubat intenso studio; mittitque Croatos,
 Ut vigilent hominum segetumque inhibere rapinas.
 Illyrici pensum exsolvunt, & denique vincunt;
 Hostis ut in castris major penuria crescat.
 Hic Borussiades ut rebus consulat arctis,
 Auxilium a tenebris poscit; protectus & umbra

Praemittit tormenta, acieque exinde sequutus:
 Atque ibi castrorum tantum mendacia linquit,
 Exiguas turmas, quae forte a gente coacta;
 Queis praeter sagulum nil prorsus militis esset.
 Hasque trucidavit rabies truculenta Croati;
 Et nulli indulxit veniam; caesaeque dolebant,
 Sanguine non nocuo quoniam commenta piarent,
 Quae Borussiadum pellacia cauta dolavit.
 Ergo ubi dilapsus raptim est exercitus omnis,
 Perpetuum metitur iter, Glaciamque petivit.
 Ast iter infestum semper fuit; undique praesto
 Sunt etenim Illyrici, Dauni quo jussa ferebant.
 Aspiceres illos e rupe invadere rupem,
 Et celeri valles saltu conjungere, cursu
 Scandere praepropero montes; atque imbre pilarum
 Vel caput ex alto, vel juxta invadere frontem.
 Finibus e Boicis sed demum quilibet hostis (21)
 Se procul abripuit. Sit magni ea gloria Dauni
 Incursu a quovis securas reddere terras
 Bis Boicas, Moravasque semel: pro tempore quando,
 Et pro re nata, velutique oblata facultas,
 Cunctando ut Fabius, sic Scipio visus agendo:
 Annibalemque novum patriam compellit adire:
 Quae late intulerat, damna unde avertat: ut alter
 Scipio at hic pugnat Daunus: se quippe recepit
 Jam Silesiacas postquam Borussus in oras;
 Tunc ille est veritus, fueratque id credere pronum,
 Cum fratre Henrico proprias conjungere turmas
 Quod velit; atque ideo propere maturet adire
 Lusatiam: idcirco Daunus pugnavit id unum,
 Prorsus ut impeditat, ne secum ea castra coirent.
 Ergo iter extendit velox: praevertat ut hostes,

Est

Est sibi praemissus pernix Laudonus, & arcem
Corstritiae expugnet: facilis qua semita tantum
Lusatiae in terras clementi tramite dicit;
Difficilesque aditus alibi Borussus iniret.

Strenuus intendit cursum Laudonus, iterque (22)

Pene vorat, secumque volat Pandurica pubes,
Et subigunt urbem; quam justo milite postquam
Dux catus insedit, propere digressus, abitque;
Occupet ut fauces, & claustra ferentia montium
Lusatiam in terram; non unum emitit & inde,
Nuntius ut Dauno referat, sua jussa peracta.

Id simul acceptum est illi, qui tempore quovis (23)

Excubat exsommis, curas consumit & omnes,
Ut nova res cauto nusquam contingere possit:
Insequitur, subiitque urbem, rursusque facescit
Sedulus, ut montes praesens vestiget, & aequis
Militibus clausas valles. Haec omnia porro
Cum placuere sibi, Laudonum laudibus effert;
Et movet, ut quidquid secum conceperat ante,
Expediat; Dresda detrudere scilicet hostem,
Nuper ut Ulmitia, Pragaque exegerat olim:
Sic triplici ut posset praecingere gramine frontem
Urbis ad obsecuae ternae pomoeria nato.

At Borussiacis ne quondam obnoxia turmis,
Quae regio Austriaci juris contermina terris
Est Silesiacis, Daunus custodit, & acri
Consulit ingenio: nam delegatus adefesse
Harsius in Boicis, Moravis Devillis in agris, (24)
Velitibusque datis omnes percurrere fines
Passim exploratum; tacitus num cogitet hostis
Irruere; & trepidae bona cuncta abradere genti,
Mortalesque ipsos propriis adscribere signis.

His bene compositis, duxit Leopoldus, iterque (25)
 Saxoniam intendit versus, quam reddere gestit
 Et prisco domino, & Borusso avellere Regi.
 Norat enim, norat cauti prudentia Dauni,
 Id quando excudat, quod decretoria finis
 Addita tunc sane, debellatumque fuisse
 Saxonia erepta: non auri averteret inde
 Vim magnam, mutilis non supplementa catervis
 Borussus; quin & commercia quaeque dirempta
 Cum propriis terris, nullus comitatus ut inde,
 Pabulaque adduci possent congesta tot annis.
 Atque ita non unum secuisset ab arbore ramum
 Borussa, si magna sibi victoria parta:
 At radix avulsa foret, lacerataque prorsus,
 Arbor & aruerit non ulla uligine foeta,
 A Brandenburgis quae derivata scatebris,
 In Silesiacis ubi circumscripta sit oris.
 Res operae enormis fuerit, durique laboris,
 Sanguinis & multi, nec temporis alea parvi:
 Daunus ubi exorsus foret expugnare tot urbes
 Praefidiis tutas, munimentisque rebelles:
 Saxonis at tellus uno absolvisset id iectu;
 A Borussiaco fuerit si jure redempta.
 Scipio sic alter, vel longe excelsior illo est,
 Hoc ubi propositum est Dauno. Carthaginis urbem
 Scipiades petiit, detractus ut Annibal esset
 Italiae ex oris. Id temporis Annibal autem
 Fractus, & accisis opibus vix posse putabat
 Italiae extremos armis defendere fines;
 Auxilium a patria quando non duceret ullum;
 Quod mitti abnueret Barchinae factio gentis.
 Annibal hic alter vero Germanus, at illo (26)
 Cal-

Callidior longe, longeque sagacior, unus
 Arbiter ipse sui, flectebat & omnia nutu
 Regna suo, haud manceps, haud ulli obnoxius unquam;
 Prorsus & integris constabat viribus idem:
 Et tamen a Boicis, Moravisque excessit ab oris,
 Ut tegeret sedes patrias compulsus adire
 Cunctantis Dauni, Dauni pugnantis & arte.
 Unde sed exortus turbo emicat horridus ille
 Undantis sumi, & revolutae ad nubila flammae,
 Nubilaque ipsa procul prisca de sede fugantis?
 Quodque fidem supra; longa regione lacunae
 Qua se extendunt, torpentiaque undique stagna;
 Possidet hic flamma, & veluti regina triumphat.
 An, nisi sum falsus, per abacta volumina sumi
 Suspicio turres, & propugnacla subinde?
 Non ego sum falsus, teneo; Costrina quod illa, (27)
 Urbs invicta, excelsa, ingens, cui credidit olim
 Non tantum Borussus opes, genera omnia frugum
 Sed pariter, magnis quae sufficiuta catervis.
 Hanc urbem invasit Moschorum infesta juventus.
 Ut ventum, intorsit flagrantia pila sub auras
 Pulveris impulsu pyrii. Vulcania pestis
 Evolat, & veluti directa est arte magistra,
 Incidit, & medium cita praecipitatur in urbem:
 Et quoniam asseribus pars condita major apricis
 Tectorum assurgit, quoquo fuit igneus orbis
 Impactus, flamas inibi partitus inhaeret.
 Ex una appositam sic debacchatur in aedem
 Ignea vix, gliscitque vorax, atque inter eundum
 Accipit indomitas, absumat ut omnia, vires.
 Et quoniam temere Vulcanus in horrea lapsus;
 Pulveris inferni qua condita copia multa;

Haec.

Haec ubi correpta est, se porro incendia late
 Effudere; vorant, tota grassantur & urbe.
 Ex tali eventu subiit fiducia pectus
 Verner, pronoque animo praesumpsit: ut urbis
 Moenia flammivomis si late verberet armis,
 Tum posse ex facili fieri, se dederet illa.
 Agmina Moschorum porro Vernerus agebat
 Russidis Augustae jussu, cui Martia virtus
 Magnanimi herois fuerat comperta fidesque.
 Spe tanta erectus mentem legatus obivit
 Obsidio muros, flammisque laceffere gestit.
 At Borussiacum cum vero haec dissita fama
 Ad Regem advenit, bibulas & perculit aures,
 [Ecquid enim fugiat, quid fallere possit eundem
 Praetentantem omnes, everrentemque latebras?]
 Protinus exarsit, seque accingit adesse
 Subsidio: at quoniam nemo pernicior illo
 Et movet, intuto necopinus & imminet hosti,
 Carpit irer, maturat iter, confecit iterque.
 Sedulus at quamvis, Verner imponere nullus (28)
 Hic potuit; vigiles astus frustratus is astu.
 Obsidio excedit, turmas collegit in unum,
 Obvius & pergit; sed quamquam pergere multus
 Incubuit, campos ut nanciscatur apertos;
 In quibus extensas recto explicet ordine turmas:
 Haud ullum, votis qui responderet, adeptus.
 Tum quia turmarum parvo cum corpore Braunus (29)
 Submotus tendebat, eum monet indice multo,
 Ut signa evellat, quanto potis ocyus, utque
 Festinetque, addatque gradum, suaque agmina jungat.
 Praerapidus movet iste quidem: committere castra
 At simul ut posset, magnum discrimen obivit:

Quo

Quo bene defunctus porro est. Volat obvius illi
Rex Borussiacus, totusque affigere tendit
Sejunctum: ut valeat sed damno occurrere Braunus,
Digerit insolita vadentes arte maniplos.
Haec inita est autem ratio: displosit ubi una
Tartareas glandes, propior turma altera fundat;
Tertia sic etiam, & reliquae mox pone fecutae;
Perpetua & plumbum serie jaculentur in hostem:
Scilicet ut proprius nequeat Borussus adire,
Neu ferro irrumpat, versusque abrumpat euntes.
Sic ergo evicit, ne cladi obnoxius esset:
Utque aliquam passus fuerit, simul intulit aequam.
Quodque erat in votis, Verner & jussa ferebant,
Venit, & agminibus laetantibus agmina jungit.
Hac spe delusus, majorem pectore sovit
Rex Borussiacus, junctos & sternere tentat.
Propterea in medium totis cum viribus agmen
Incidit invectus; quamvis & saepe repulsus;
Ter, quater assultus iterat, graviorque lacepsit,
Ac tandem penetrat, trepidas abrumpit & alas,
Et ter quina rapit tormenta gementia belli.
Tum festum paeana canit, repetitque triumphe!
Inque plagas orbis varias jubet ire veredos
Aut lituum, aut tumidis animantes cornua buccis,
Russiacum & foeda deletum strage canentes.
Constitit hic autem, & penitus victoria casu
Funesto corrupta fuit; dum densior alae
Ingruit, & dextrae incumbit Borussica pubes:
Obtinuit tandem, prisca illa ut sede facebat,
Excedatque adeo, donec locus aptus eundi.
Hic ubi defecit, torpensque & vasta lacuna est
Obvia, cunctatur dupli formidine fixa.

Hinc

Hinc Borussiadum cogunt excedere flammae:
 Inde palus, ultraque inhibent procedere stagna:
 Quidque opus hic factu, nescit, prope mentis & impos
 Inter utrumque jacet, levius vitare periculum
 Dum cupid. Hanc ultra speciem vigor ille virorum (30)
 Non tulit: in medium sepe Demicourtus at infert;
 Et gladium exertans, oculis & fulgura mittens,
 Fulminaque effundens resonis cum vocibus inquit.
 Quid sibi vult, Socii, Moschorum haud pectoris hospes
 Hic timor, & nostrae peregrina ignavia mentis?
 Audendum; quando duplex evadere damnum
 Copia non ulla est; tunc illi occurrere praefat,
 Quod decus exhibeat, quod nunquam egisse pudebit.
 Si decus in voto est, vos ite, immergite stagnis:
 Mors ibi, non adeo sed certe ingloria; qualis,
 Vos si Borussus captos detrudat in antra
 Atra situ, putrique humore scatentia semper.
 Hic decedendum est in honorae aut lumine vitae;
 Vita aut ducenda est, quae morte immanior ipsa:
 Ni sedet haec animis, avidi tendamus in hostes;
 Quos nisi sternamus, nulli sternemur inulti.
 Ast age, sternemus: laevam Borussus in alam
 Integer incumbit: pecudes nos sicut inertes
 Negligit, ut diri reddamur pompa triumphi;
 Postque ignominias, cryptas adigamur in udas.
 O Petrus hoc magnus, Petrovina hoc maxima spectet,
 Quae, velut Augustam decuit, nos misit, ut esset
 Justitiae vindicta, lavae ambitionis & ultrix:
 Scilicet in meritas lacrymas solvetur uterque.
 Irruite, irruite, & pugnate, & vincite mecum.
 Dixit, & id dictum socios transmittere jussit
 In reliquum vulgus, cuius vox consona prodit,

Una-

Unanimi assensu, & clamoribus aera complet.
 Irruimus, tecum irruimus, moriamur ut una,
 Vincamusve. Sibi Moschorum id gloria dictat;
 Quis scelus est revocare pedem vel morte piandum.
 Tunc aciem instituunt, qualem pro tempore possunt;
 Impetueque assaultim celeri abripiuntur in hostem;
 Quem prius assidua plumbi cum grandine, fixi
 Mox ferri mucrone petunt, foduntque feroce.
 Haec nova tempestas devicta a gente coorta
 Non expectato Borussica corda timore
 Perculit: ut vero subiit victoria mentem
 A profligatis hic extorquenda catervis,
 Acrior invadit cunctis furor iraque peccatus,
 Et volvunt aciem, & toto conamine tendunt
 A tergo, a latere urgentes avertere Russos.
 Sed fuit incassum: potuere hos dedere fato;
 At vero minime potuere impellere, certos
 Ante mori, rursus quam tergum vertere retro.
 Tum vero non pugna fuit, laniena sed atrox,
 Vulneraque, & mortes, abscissaque membra, cruxque:
 Omnibus in voto est nam dedi, aut dedere morti.
 Dum ferrum impingant, haud ulli evadere ferrum
 Est studium, haud ulli propriam defendere vitam:
 Eripere ast aliis, cupidique ea meta trophaei.
 Ac Borussiadum quamvis sese obstinet ardor,
 Ardua Russorum vicit constantia tandem:
 Et veluti illorum sensim deferbuit ausus;
 Aequo incremento sic raptim efferbuit istis.
 Excidit ex animo vincendi accensa libido,
 Spes filet, incessit trepidae modo cura salutis:
 Et Borussiadae passim sua lumina volvunt,
 Ut circumspiciant, qua parte excedere possint.

Ac quia nil tuti, spes intermortua vitae
 Spem vitae exhibuit: juvat ergo incurrere rursus,
 Atque inferre pedes, & signis obvia signa:
 Ut veluti Russis spes conclamata triumphum
 Obtulit, haec eadem palmam quoque redderet ipsis.
 Irrita sed fovit falsas sententia mentes.
 Et demum excedunt infausti a Martis arena:
 Nec fugiunt, verum vadunt, feriuntque subinde,
 Dum vadunt; speciem pugnae fuga praefstat & ipsa.
 Sed tentent, quaecunque velint, premit hostis, & hujus
 Dextera dum vicit, victoria talis ad agmen
 Continuo medium, laevam vulgatur & alam.
 Unanimi incursu tum caetera Russica pubes
 Acrius incubuit, constanti & turbine ferrum
 Torsit agens, bolidas constanti & grandine jecit;
 Ac tandem excudit, reliqui fundantur ut omnes:
 Qui procul avecti tandem cunctantur ibidein.
 Russiadae insistunt non laeto in pulvere Martis:
 Si modo dicendus pulvis, non sanguinis amnis,
 Pugna ubi commissa est, denique extracta per horas,
 Et totidem tenuit jugulandi insana libido.
 Atque ubi straverunt campos ter dena virorum
 Millia: pars caesi, pars ferro & glandibus iecti:
 Post pugnam accipiunt Russi, quaecunque suppellex
 Bellica deserta est, ut multa insignia, multa
 Tympana, & armorum varium genus: inter & ista
 Sunt etiam naecti tormenta curulia plura,
 Quam sibi principio pugnae sublata fuere:
 Ac terra infodiunt, quae vita corpora functa.
 Mox, quia Lansbergae stabant multa horrea muris
 Condita, propterea talem referuntur in urbem;
 Qua dapibus cyathisque diem fregere morantem,

Et

Et refovent vires pugna, fessasque labore.
 At Borussiacus tanquam Rex ferreus esset, (31)
 Semper & infractus, semperque indeses, & acer,
 Quo res cunque cadat, quoquo fors invida ducat,
 A pugna calidas, madidasque a sanguine turmas
 Abripit, & propere Dresdae contendit in urbem.
 Quodque adeo celeri passu se contulit illuc,
 Id fuit in causa: timuit, ne Daunus, ibidem
 Qui prius astiterat proprio cum milite, cumque
 Imperii turmis pariter tendentibus illic,
 Fratris in Henrici montana irrumpere castra
 Vellit, ut a triplici fossa, triplici aggere tecta.
 Sub propriis signis non tantum militis autem
 Ille recensebat, longo qui tempore posset
 Hisce exercitibus binis obsistere junctis.
 Huc ubi devenit solers Fridericus, ibidem
 Tum sua defixit Dauni tentoria contra.
 Si porro excursus recolam, pugnasque minores,
 Seclum erit: in seculo quin tangere posse negarim.
 Queis ego Durlacco regali e sanguine cretum
 Legatum expediam? Queis ausim dicere metris
 Laudonum, Haddichum, Laniumque, Agniumque feroce
 Robore, consilio miros, & mente sagaces?
 Abstineam, heroas geminos, queis secula pauca (32)
 Suspexere pares, submisso ut carmine mirer.
 Ergo sedent utrique duces, sed corpore tantum;
 Mente volant, secumque agitant; quanam arte, vel astu
 Peccatum alterius non emendabile bello
 Tandem intercipiant, possintque erroribus uti,
 Vel pro re nata, vel capta temporis ansa.
 Hanc porro arripuit Daunus, solerter & usus,
 Et procul a castris hostes excedere adegit.

Sic porro regio nata est, ubi praelia mixta:
 Planities ingens se latum extendit in aequor;
 In medio est pagus, vulgo Hokenkirca vocatus;
 Ad latus exurgunt sublimi vertice montes,
 Difficiles aditu propter terga ardua passim.
 Excipit illorum frontem dorsumque pedemque
 Saltus inaccessus, vestitus & ilice, denso
 Et frutice, & dumis; ubi semita nulla pateret.
 Hos Borussiacus montes invadit, & armat
 Undique tormentis, quamvis conspicerit esse
 Ingenio invictos nato, saltuque propinquo:
 Quo veluti vallo versatur, & aggere septus.
 Id Regis non sponte tamen Borussica pubes
 Exequitur; dispar ejus sententia menti
 Sederat; in votis Strombergum insidere montem
 Cui fuit: hoc capto quoniam via lata maneret
 In Silesiacas oras; texisset & agmen
 Non procul amotum, cui ferme dena virorum
 Millia, queis sedes est Waysbergica villa.
 Consilium id Regis Daunus divinat, & aequo
 Praevenit indeces; montem prior occupat ergo,
 Et validis turmis, & justis instruit armis.
 Hac spe frustratus, Rex retro excedit, & illis
 Insidet, appositas communit & aggere rupes:
 Hoc etiam adjectos campos, fossisque coronat.
 Et sedet, hostili nulla formidine tactus.
 Haec multa allexit quoniam fiducia Regem,
 Perdidit haudquaquam tunc pugnam instare timentem.
 Daunus odoratur miro pro lumine mentis
 Spes Borussiadum falsas, bene cautus & usus:
 Usus & haud tantum, tacitos sed & astruit astus;
 Ut Brandenburgis sua confidentia gliscat.

Id porro exequitur mira ratione: catervas (33)
Sub duce Latidono laeva delegat ab ala,
Implicitus qua saltus erat, qua montis & arces.
Hoc iste ut peragat, longo discedere tractu
Debuit a tergo, flexaque ambage viarum
Tendere: qua specie potius concedere retro
Est Borussiacis visus, quam tendat ut ultra:
Atque ita deceptis fiducia crevit adulta.
Mox nova commentus belli mendacia Daunus:
Aggeribus, pyrgis altis, fossisque profundis
Est cornu amplexus dextrum, mediasque phalanges.
Hinc timor omnino Borusso e corde facest;
Ac fore nullius sperant discrimina pugnae:
Et somno indulgent multi, dapibusque, meroque.
Tum laxae excubiae positae, custodia rara:
Decipiuntque diem, & fallunt sermonibus horas
Disjuncti, tanquam bellum non urgeat ullum.
Cum laxamenti Daunus plena omnia vidit, (34)
Omnia, non solito veluti de more, soluta,
Consilium vocat, atque aperit, sententia menti
Quae sibi; Borussos nec opino invadere Marte:
Dum vero loquitur, labiis effundere visus
Lilia mixta rosis, reliquos & veris honores,
Quaeque examen apum dein munera mellis ab illis
Seligit: humanam speciem super ora coruscant;
Mortalesque super sonitus vox daedala volvit.
Ergo, ait, o Socii, quorum mihi cognita virtus
Tot nitidis, mecum quot inistis praelia, palmis;
Strenua vis quorum, quorum mavortius ardor
Expetit, & plenae pascit discrimina pugnae,
Vel mutilis dictis, oculive potentibus arma:
Tempus ad hoc ideo talis non copia facta;

Haud

Haud bene maturum visum mihi quippe: sed ecce
 Nunc Borussiacae deses solertia gentis
 Est irretita, & nullum putat esse periculum;
 Instat ubi ignaris cervicibus alea pugnae.
 Vos bene jam nostis, mecum quaecunque parastis,
 Et vestris series est pugnae inscripta tabellis.
 Ite alacres, ite audentes; ne fidite vestris
 Viribus; at quaeſo, nostrūm fiducia tantum
 Auxilii sit diva Parens: protexit ut illa
 Tempus ad hoc, eadem pariter vos proteget olim.
 Auxilio illius freti, properate triumphos
 Ad solidos, non ad dubiae certamina pugnae.
 Ipsi equidem acceptum refero, referatis, oportet,
 Quod damno indormit proprio Borussus: ab ipsa
 Hostibus injecta est fiducia talis: ab ipsa
 Consilium nobis, & vividus ardor, ab ipsa
 Sperandum auxilium, & felix eventus habendus.
 Haec simul: ex oculis, facieque erumpere visa
 Vivida flamma fuit, comitumque accendere corda,
 Ingerere & flammis flamas, atque ignibus ignes,
 Queis pugna a cunctis nimium fuit ante petita.
 Post dicta insequitur vox congener omnibus una.
 Pergendum, pugnandum, hostilia castra petendum;
 Auxilio nostrae Matris victoria parta est.
 Ergo abeunt omnes: ubi iussa exivit & hora,
 Quae pulsis tenebris aperit confinia lucis;
 Quisque suum tenuere locum; montesque petitos
 Primus adit, norma illa ducum quando agmina dicit, (35)
 Gloria militiae, strictum quando incutit ensem,
 Laudonus: non saltus eum, rupesque morantur,
 Ambagesque viae dumis & cespite clausae;
 Tum mage difficiles, quoniam nox fusca teneret,

Am-

Ambiguosque aditus tenebris obtexerat. Ille,
Qua potis, erectus tendit, quaque invia prorsus
Semitā, perrepit, vel saxa obstantia saltu
Transilit: exemplum sequitur, gens dura, Croatus:
Quandoquidem repsit pariter, trajecit, & ivit.
Id mirum, longeque magis mirabile dictu,
Alta quod a variis sint ducta silentia turmis.
Nullus hiat, nullusque hiscit; licet undique calles
Exhibeant, gravius sed proxima pugna periculum.
Jam prope Borussos aderant; non ullus at horum (36)
Sensit adesse viros, creperae quia noctis in umbris,
Quas cernunt species, larvas duxere volantes:
Id primi vigiles: at caetera turba sopita
Non videt, aut sentit dulci correpta sopore.
Errorem excubiis porro, turbaeque quietem
Excutit, aut placidos jungit cum funere somnos,
Cum primum advenit pubes Pandurica: parcit,
Ut fuit in jussis, haec quemquam incessere flammis;
Ne tonitru illarum reliquos arcessat ad arma:
At gladios adhibet, frameasque e vertice sclopi.
Hic vero obtinuit clades, vigilisque perempti
Sunt prius; & pubes mox caetera dedita morti.
Qui reliqui fuerant, illos fuga subtrahit ensi.
Cum nulos videt esse super Laudonus, Adeste,
Tunc ait, o Socii; & tormenta vacantia passim
Vertite Borussos contra sub monte jacentes:
Edite sic clades; somnumque ut pellitis ipsis,
Addite sic fremitu multum terroris iisdem;
Ut fugiant, gelidaque manu sumpta arma remittant.
Cum vero Stygii jacti sunt desuper orbes
In reliquas stratas subter tentoria turmas,
Tum pavor incubuit cunctis, trepidusque tumultus;
Tunc

Tunc interceptos sese doluere jacentes :
 Exiliunt, & ad arma vocant, arma undique clamant :
 Et multi adjiciunt. Ergo solertia nostra
 A Dauno frustrata fuit ? Factum esse videntes
 Hisce oculis nostris, fieri potuisse negamus.
 Arma alii capiunt ergo, seque ordine fistunt ;
 Atque adeunt alii Regem, plenique pudore, (37)
 Hostis adest, repetunt, insesso & monte potitus
 Fulmina tormentis torquet crebra, horrida nostris.
 Abripit a strato sese ilicet ille, doloris
 Taetus & est multo sensu, nulloque timoris ;
 Non quia vincatur, sed victum at nefsciat esse :
 Quippe cor illius nunquam est formidinis hospes.
 Ergo volat, laetas acies qua viator agebat
 Laudonus, properansque relieto a monte, potitus
 Planicie fuerat, dejectisque hostibus illinc,
 Contra Hokenkircam vires admoverat omnes ;
 Et Borussiacis pulsis procul inde, tenebat.
 Huc Rex contendit, selecto & robore secum
 Huc acies adigit ; ternis aggressus & arcem
 Est vicibus, semper vero submotus ; at ejus
 In medium invectus partem cum denique, vicit ;
 Et quoniam hic flagrat pugnae violentior ardor, (38)
 Et quoniam eventus rerum pendebat ab illa :
 Nam modo viator erat, quicunque insederat arcem.
 Propterea abripuit propere se Daunus eodem :
 Pugnacesque manus secum invehit impete tali,
 Ut summam belli assultu decreverit uno :
 Quo profligati, Brandenburgique fugati.
 Cum Dauno Aisias porro duxere catervas
 In munimentum, mox Staremburgius ibat,
 Et Colloredus, Bochousque, & Puebla, Riosque

Pro-

Prodigus ut vitae, sic quisquis honoris avarus:
Sospite quo, nulli curae est occurrere morti.
Sed reliquas inter turmas Bathyana refusit;
Quippe adeo irrupit truculenta, invasit & hostes;
Ut plus trecenti assultum tolerare negantes
Dediderint sese captos, & signa quaterna.
Scilicet in turmis ardor mavortius ille
Constabat, Bathyane, tuus, quando agmina ducta
Sunt tibi, Germanis hostis depulsus & oris.
Extremam sed porro operam belli ardua virtus
Migazzi impedit, litemque diremit, agendo
Selecta cuneum gentis, tergumque petivit
Brandenburgiadum: & duxit tali impete, tamque
Constanti, validoque; prior contusus ut hostis
Conciderit fervor; profligatusque putarit
Rex ubi dejectas illa de parte cohortes
[Spem nullam reliquam esse sibi jam vincere posse:
At fore consilii pedibus committere vitam]
Vidit, ab infaustis absistere praecipit ausis,
Et revocare pedem, medium qua constituit agmen:
Et tecti assiduis illius ab ignibus irent.
His ubi consuluit, sicut sibi facta facultas,
Rex alio accurrit, gravior qua pestis oborta,
Austriacusque ubi multus eques fera bella ciebat:
Opposuitque suum, violentusque institit; unde
Compulit a capta statione recedere paulum.
Advolat huc autem praeeeps Odonellus, agitque (39)
Austriacas alas aliquas, atque acrior urget;
Restituitque suos, & abactos expulit hostes.
Tum porro Austriadum laevam Borussus in alam
Incubuit pedes, & demum spissō igne petitam

Reddiderat passim raram : laxatus ibi ordo
 Cum fuit, occurrit damno, Daunusque frequentem
 Adiectis reparat turmis, seque invehit illuc
 Pro ducis imperio Lacyus, quinasque cohortes
 Dicit agens, hostesque petit, funditque prementes ;
 Sanguinis & stagno campos, membrisque resectis
 Sternit. Hyperboreis Aquilo sic lapsus ab oris
 Incidit in nemus, assultuque animosior instans
 Et folia, & ramos, robusta & brachia, & ipsos
 Annosos truncos ima ex radice revulsos
 Congerit in cumulos, & strage involvit eadem.
 Jam medias acies, dextri jamque agmina cornu (40)
 Straverat Austriacus : laeva Borussus in ala
 Firmior obstabat, quavis e parte triumphus
 Ne foret aequalis : siquidem majoribus ille
 Non modo tormentis fretus, sibi plurima quorum
 Copia suppetiit, valido nec & aggere tantum
 A munitis tecto, fossisque profundis ;
 Ast etiam ingenio, & salebrosa ambage locorum.
 Undique surgebant rupes, secumque coibant ;
 Unde per errores varios, flexosque viarum
 Anfractus tenuis ducebat callis in hostes.
 Sed quid Arembergum possit cohibere ruentem,
 Torquentemque manu gladium, dictisque minantem,
 Atque irritantem socios, & ad arma cidentem ?
 Primus it : haud illum angusti divertia callis,
 Non acies ferri, tormenta nec ulla morantur
 Perpetuis flammis tenues adigentia glandes.
 Ergo iter invadit, transit, seque invehit hosti :
 Quodque fidem supra est, formidine fixit & aegros
 Borussos : gladiis illos, purisque sarissis

Aut

Aut ipse , aut socii potuere expellere fede
 Tam bene munita , flammis & ubique tonante .
 Dumque abeunt hostes , quaevis tormenta relicta
 Non tantum graviora , manu sed & arma remissa
 Omnia , praefidio nullo sibi quippe futura ,
 Ast oneri tantum , pedibus dum credere vitam ,
 Non manibus visum longe consultius esse .
 Hi simul evadunt , aliquot venere catervae : (41)
 Hae pedites , pariterque equites ad millia dena :
 Ad Waysbergam queis jam tentoria fixa .
 Hi celeres ergo festinavere ferentes
 Auxilium victis , monitumque ad bella reverti .
 Hos procul aspexit , praesens simul omnia lustrat ,
 Atque indignatur , Daunusque exarsit in iram ;
 Quod Borussiadum dum late exercitus omnis
 Jam confernatus profligatusque facebat ,
 Qua timidos via quosque ferat , ferre agmina pauca
 Suppetias ausint , victorem & tendere contra .
 Propterea edicit , Bachous pergit , & aequa
 Parte alia celerent fortis Zollernus , & acer
 Bettonus , madidumque inimico sanguine ferrum
 Altius exertent , nisi viso hoc fugerit hostis :
 Maturent , addantque gradum , fodiantque negantes
 Cedere , & inficiant simili stricta arma cruore .
 Segnius e caveis procul exiluisse leones
 Dixeris , ut tauros per pascua laeta vagantes
 Invadant , avidoque inhient discerpere rictu :
 Quam manus illa ferox se praecipitavit in hostes
 Ordine stipato , atque abigit certamine primo
 Adventantem aciem : sub eodem haec tempore prorsus
 Visa ultra est inferre pedem , retroque referre ;

Ac velut adversis nuper contendere signis,
 Sic quoque conversis alio concedere: dispar
 Sed facies horum: prius illa erecta volabant,
 Explicita & ventos contra; collecta sed inde,
 Inque sinus revoluta, soloque obversa cadebant.
 Sic etiam in pelagus quando violentior Auster
 Ingruit, adversa sed parte valentior inde
 Incubuit Boreas, sublimi vertice fluctus
 Irruere in littus cernas, humilesque reverti,
 Diversosque sibi, & timidum caput abdere ponto.
 Hic vero aequalis quavis Victoria parte (42)
 Risit, & Austriacos supra festiva refulsit.
 Illius species, supra quam credere possis,
 Fulgebat formosa adeo, superaret ut omnes,
 Quot referat species collecta humana venustas.
 Aurea caesaries humeris excepta fluebat;
 Quam tegit ex niveo contexta calantica byssō:
 A scapulis juxta talos saturata colore
 Sidonio complexa chlamys cingebat amictam:
 Caerulea ex palla, similique exomide vestis
 Caetera: & haec eadem Victoria credita turmis.
 Judice me, non illa fuit Victoria; felix
 Mater at Auxilii, & populi Patrona rogantis.
 Nec me Theresiae pietas excelsa, Virique, (43)
 Et reliquae Austriacae prolis, Daunique poetam
 Mendacem arguerint; qui religionis amore
 Quod reor, hoc ausim laetis intendere chordis:
 Et nemo in dubium revocet, Deus optima quaeque
 Per Matrem Auxilii malit quin reddere nobis;
 Si conchae aeternae praesens est illa canalis,
 In terras quo cuncta fluunt coelestia dona.

Arbi-

Arbitrio huic nostro, laetor, subscribere Daunus
Quod studuit; pugna dum protinus ille patrata,
Corde prius tacito grates persolvit, & inde
Per tormentorum reboantia reddidit ora
Auxili Matri, retulitque accepta trophyea.
Magnificam extruxit pompis castrensis aram:
Sub croceo suspensa tholo pendebat imago
Matris ab Auxilio, penitus quae concolor illi,
Est mihi quae Virgo, Victoria credita turmis.
Hostibus erecta, & nimio maculata cruento
Signa, caput dejecta, aram triginta coronant,
Atque obeunt eadem tormenta hostilia centum.
Haec, simul exorsa est sacrum vox daedala carmen,
Concepere faces, festivoque ore per auras
Fausta triumphali sudere tonitrua bombo.
Insonuere procul valles; & diffusa longe
Hostibus insessi tremuere cacumina montis.
Excipit & miles, jecitque canalibus ignem:
Insequiturque simul castrensi ars metrica ritu,
Tibiaque, lituque, arguta & cornua voce.
Haec simul expediti Daunus, contendere jussit (44)
Post reliquas acies, quas delegaverat ante,
Laudonum, profugis & carpere terga subinde.
Praefstat opus, rapitur vento ocyor arduus heros,
Insequiturque ferox: hostes & quotquot adeptus
Multa reluctantes, stringentesque arma trucidat:
In manicas alios cupidos se dedere cogit.
Arma legit projecta solo, vel rebus onustos
Omnigenis carros, secumque in castra reducit.
Daunus in his castris nec vero segnis agebat.
Haec fuit, incessit quae cura potissima pectus

Egre-

Egregium pietate. Jubet jam lumine funtos
 Infodiant terris: mutilis exinde, vel ictis
 Subveniant succis, foveantque potentibus herbis.
 Quae vidua extabant passim, tormenta recenset:
 Omniaque haec supra centum triginta fuere.
 Mox pariter misit vexilla erepta Viennam,
 Theresiae jussu sacras digesta per aedes,
 Auxilium praesens Divae testantia Matris.
 Hoc adeo infesto sed porro in turbine rerum (45)
 Rex Borussiadum minime despondet: at una
 Colligit elapsos pedites, & in ordine cogit:
 Queis jubet intactas tergum defendere turmas:
 Et montes petit, & faciem convertit in hostem
 Intrepidus; tanquam sibi nulla accepta fuissent
 Damna, sed ex acie spoliis abiisset onustus.
 Dum vero instarent pugnae discrimina, dumque
 Conseritur pugna, & pugna sunt parta trophyea;
 Harschius interea Nissam spizzo agmine cingit,
 Infernasque pilas muris impingit; in urbem
 Projicit ignitas incendia certa ferentes;
 Omniaque exequitur, tanquam expugnare pararet.
 Consilium hoc alio sed vero tendit; & arce,
 Copia siqua sibi fieret, cupit ille potiri:
 Sin minus; ut Daunus quidquid conceperat alto
 Ingenio, foveat; facilisque eventus ut iret
 Non modo, momenti longe potioris at esset.
 Propositum Dauno fuerat subducere Dresdam
 E Borussiadum manibus: sed certa facultas
 Ut foret; averti quam longe a finibus illis
 Debuerant hostes, huic apti occurrere damno.
 Illecebra excudi poterat nulla altera porro.

Quae

Quae metam attingat, Regemque excedere cogat:
 Quam Nissam effusa circumsepire corona
 Militis, & muros validis incessere flammis:
 Rex celer ut tendat, caraे succurrat & urbi.
 Quae sumptu immodico, & simili munita labore,
 Credita praesidium proprii quaeque unica Regni
 Est Silesiaci. Monitus velut Harschius ergo
 Propterea a Dauno, festinat, & impetit urbem.
 Consilium ex voto cecidit: mora solvitur omnis;
 Rex volat, Austriacos procul inde expellere certus:
 Insequitur Daunus, numeroſo & milite carpit (46)
 Extremas acies, ſe Nissam & tendere fingit.
 Cum procul amotus longe Borussus abivit,
 Occupat angustas fauces; ne trames apertus
 Olli ſit reduci, & Dresdae contendit in oras.
 Consilium at Dauni res intempeſta peremit.
 Harschius aut Regis quoniam non viribus aequus,
 Aut quoniam jussus, Nissae obſidione ſoluta
 Excessit: Niſſaque novo ſeu milite, ſive
 Frugibus instruēta, Dresdae remeavit in oras
 Rex Boruffiacus, tendebat Daunus ubi ante.
 Qui licet ex facili poterat Dresdae urbe potiri,
 Ut pius abſtinuit; ne ſcilicet eſſet adeptus
 Aut cumulo lapidum, aut ſemiuſtæ ſtragiſ acervo.
 Indigenae plures, urbis pomoeria juxta
 Queis ſedes fuerat, veriti praedae eſſe futuri
 Austriadum genti non longius inde moranti,
 Supplicibus diectis Praefectum ſaepe rogarunt
 [Supprimimus nomen, labes ne reflet inuſta]
 Ut liceat, quaecunque ſibi pretioſa ſupelleſ,
 Invehere in muros urbis, qua tuta maneret.

Obſtrin-

Obstringit totam ille fidem, mancepsque futurus
 Spondet ab Austriacis bona cuncta intacta tueri.
 Indigenae reddunt grates, hilaresque reversi
 Mutua laetitiae testantur pignora cunctis;
 Et postquam dapibus, placido indulgere sopori.
 Ast o spes hominum falsae, fiducia vana!
 Concubiae in noctis tenebris prodivit ab urbe
 Clandestina manus juvenum, callesque per omnes
 Digesti, postquam tormenta curulia signum
 Indixere, faces sub eodem tempore cunctis
 Injiciunt tectis: ad plena incendia flamma
 Sed quoniam non ducta satis, de turribus urbis
 Ignivomos orbes fudere tonitrua Martis.
 Ad fumum, rutilosque ignes, raukosque boatus
 E strato exiliunt cuncti: pars altera vitae
 Vult modo consultum, caris pars altera rebus.
 Hinc alii induviis tecti, lectasque ferentes
 Sarcinulas alii medios transfire per ignes,
 Aut ignes fugere, aut missos e moenibus orbes.
 Conveniunt multi demum, queis flamina pepercit
 Atrium in immensum, quo lumine corpora funeta
 Conduntur; miserique putant, quod sospes ibidem
 Vita sit; at falsi spatio exturbantur ab illo;
 Ignitaeque pilae vivos junxere peremptis;
 Aequre peremptorum reliquos statione fugarunt:
 Qui propere elapsi, Praefectum incessare diris,
 Devotumque caput dictis mordere caninis:
 Sed frustra, quippe ille fidem persolvit ad unguem,
 Promissisque stetit: quaevis defendit ab hoste
 Austriaco, illorum quando bona tradidit igni;
 Austriadum nullus quae flammis attigit usta.

Et

Et quoniam allatum Dauno est, invadere Dresden
Si tentet, paribus flammis dedenda quod esset:
Quin etiam in primis numerosa & regia proles
Propterea excessit, gaudetque inhonoros abire
Nil propriae is cupidus laudis; gens regia quando,
Regiaque urbs aequa sit certa a clade redempta:
Idem expugnasset non multo sanguine Dresden:
Cum solus valeat, quidquid valuere priores.
Pyrrhus castra locet, Fabius cunctetur, & hostes
Scipio profliget; praestetque haec omnia Daunus.



